

ISIDORO DI SIVIGLIA

1) *Nomen autem Medicinae a modo, id est temperamento, inpositum aestimatur, ut non satis, sed paulatim adhibeatur. Nam in multo contristatur natura, mediocriter autem gaudet. Unde et qui pigmenta et antidota satis vel assidue biberint, vexantur. Immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert (Ethym. IV, 2).*

2) *Quaeritur a quibusdam quare inter ceteras liberales disciplinas Medicinae ars non contineatur. Propterea, quia ilae singulares continent causas, ista vero omnium (Ethym. IV, 13).*


ILDEGARDA DI BINGEN

Galanga (Alpinia officinarum)

Galgan totum calidum est, frigiditatem in se non habet et virtuosum est. Homo, qui ardentem febrem in se habet, galgam pulverizatum [...] bibat, et ardentem febrem extinguet. Et qui in corde dolet [...] ille mox de galgan comedat satis, et melius habebit (Physica, I, 13).

Pulmonaria officinalis

*Frigida est et modicum arida, nec multum ad utilitatem hominis valet. Sed tamen homo cui pulmo inflatus est, ita quod [...] spiramen vix trahit, **lunckwurtz** in vino coquat et ieiunus saepe bibat, et sanabitur (Physica, I, 29).*



Farro

Triticum calidum est, et plenus fructus, ita quod in eo nullus defectus est; et cum recta farina de tritico fit, tunc [...] rectam carnem et rectum sanguinem in homine parat (Physica, I, 1).

Finocchio

Feniculum suavem calorem habet [...] et [...] laetum facit hominem, et suavem calorem ac bonum sudorem ei infert, atque bonam digestionem facit. Nam qui feniculum aut semen ejus jejunos quotidie comedit, malum flegma aut putredines in eo minuit [...] et oculos ejus clare videre facit (Physica, I, 66).

Pietre

Omnis lapis ignem et humiditatem in se habet. Sed dyabolus pretiosos lapides aborre et odit et dedignatur, quia reminiscitur quod decor eorum in ipso apparuit, antequam de gloria sibi a deo data corrueret, et quia etiam quidam pretiosi lapides ab igne gignuntur, in quo ipse penas suas habet. Nam per voluntatem dei per ignem victus est et in ignem corruiit [...] In parte autem orientis et in partibus illis, ubi nimius ardor solis est, pretiosi lapides et gemme oriuntur. Nam montes, qui in plagis illis sunt, ab ardore solis magnum ardorem habent, velut ignis ardent. Sed et flumina que in eisdem partibus fluunt nimio ardore solis ibi semper fervent (Physica, IV).

Nam Deus primum angelum quasi pretiosis lapidibus decorabat, quod idem Lucifer in speculo divinitatis splendere vidit, et inde scientiam accepit, et in eis cognovit quod Deus multa mirabilia facere voluit. Tunc mens eius elevata est, quia decor lapidum qui in ipso erat in deo fulgebat, putans quod ipse equalia et plura Deo posset, et ideo splendor eius extinctus est. Sed sicut Deus Adam in meliorem partem reparavit, sic Deus nec decorem nec virtutem pretiosorum lapidum istorum perire dimisit, sed voluit ut in terra essent in honore et benedictione et medicina (Physica, IV).

Diamante

Et homo qui ieiunare non potest, eundem lapidem in os suum ponat, et esuriam ei minuit, ita quod tanto diutius ieiunare poterit (Physica, IV, 17, 11).

Et qui paralyticus / virgichtiget est, vel apoplexiam habet id est (slaich scilicet) hanc pestemque medietatem corporis apprehendit, ita quod se movere non potest, adamantem per totam diem unam in vinum aut in aquam ponat, et desuper bibat et gihit ab eo cessabit, etiam si tam valida est, quod membra illius dirumpere minantur, et etiam ab eo apoplexia minuetur (Physica, IV, 17, 14-16).

Giacinto o Zircone

*Iacintus in prima hora diei ab igne oritur, cum aer nunc hos nunc illos **colores** habet, et plus aereus est quam igneus, et ideo etiam aerem **sentit** et colorem suum aliquando secundum aerem habet, et tamen etiam igneus et calidus est, quoniam ab igne gignitur. Et homo qui **caliginem** in oculis patitur aut cui oculi turbidi sunt aut **swerent, iachant** ad solem teneat, et ille **statim** reviviscitur, quoniam de igne genitus est et **cito** incalescit; et **mox** cum saliva eum **parumper** madefaciat, et ita oculis **citissime** apponat ut inde calefiant, et sic **sepe** faciant, et oculi **clarificabuntur** et sani erunt (Physica, IV, 2, 1-2).*

*Et qui ardentem febrem, id est **fiber**, in stomacho suo habet, unde cottidiana et tertiana ac quartana sepe nascitur, purum vinum in fictili vase ad solem ponat ut incalescat, et tunc etiam in idem vinum iacintum mittat, ut etiam ipse in eodem vino calefiat, et tunc etiam ignitum calibem in ipso vino modice intingat, et sic ieiunus et ad noctem cum se in lectum collocat, per tres vel per plures dies bibat et curabitur. (Physica, IV, 2, 4).*

*Et si quis per fantasmata aut per magica verba **vergogelit ist, bezaubert** est, ita quod **amens** efficitur, accipe siligineum panem calidum, et eum in subteriori crusta in modum crucis scinde, non tamen eum per totum frangens; et lapidem istum per scissuram illam deorsum trahe, et dic “Deus qui omnem preciositatem lapidum de dyabolo abiecit, cum preceptum eius transgressus est, de te, N, omnia fantasmata et omnia magica verba abiciat, et te de dolore **amentie** huius absolvat”. Et iterum eundem lapidem per calidum panem illum transversum trahens dic: “Sicut splendor quem dyabolus in se habuit, propter transgressionem suam ab eo ablatus est, sic etiam hec amentia, que te, N, per diversas fantasias et magica fatigat, a te auferatur et a te deficiat”. Et tunc eundem panem circa scissuram illam per quam iachant traxisti, illi qui dolet ad comedendum dabis. (Physica, IV, 2, 6-8).*

Et si quis homo magno risu movetur, ita quod eum valde libet ridere et quod a risu se continere non potest, mox iacintum in os suum ponat, et risus in eo cessabit. Risus enim de suggestionem dyaboli primum ortus est, et ideo virtus iacincti eum deprimat, quia dyabolus quod bonum est devitat. (Physica, IV, 15).